





15

1786, 4

4

ORDINARIUS

SENIOR CAETERIQUE ASSESSORES

FACULTATIS IVRIDICAE

LIPSIENSIS

SVMOS IN IVRE HONORES

CVM SPE

QVONDAM IN COLLEGIO ASSIDENDI

VIRO CLARISSIMO

IOANNI DANIELI KINDIO

A. M. ET IVR. VTR. BACCALAVR.

D. XV. APRIL. A. C. MDCCCLXXXVI.

COLLATOS PROFITENTVR

9, 506

IN EST

*Brenis Enucleatio*

*Decis. Nouiff. XXVI.*

*De obligatione cambi et processu*



ORDINARIUS

SENATOR GATTIUSIUS WASSERBORN

SECRETARIUS

SECRETARIUS

SECRETARIUS

SECRETARIUS

SECRETARIUS

SECRETARIUS

SECRETARIUS

SECRETARIUS



B. C. D.

**Q**uod mihi leges patrias legenti relegendique plus vice simplici contigit, ut, quae primum intuenti videretur vel iuris rationem offendere, vel cum aequitatis praeceptis conciliari vix posse, eam, tota re circumspicte et perpensa, cognouerim reipublicae egregie inferuire, summaque adeo sapientia excogitatam esse; hoc ad Decisionem nouissimam XXVI. omnino pertinere, existimo. Facta nimirum rite bonorum cessione, distinguit inter creditores, qui citationi edictali morem gesserint, (hoc est, in termino huius rei causa praefixo comparuerint, suiue crediti iudicem certiores fecerint,) aut non. Et sic quidem distinguit, ut illis actionem cambialem, videlicet eo, ut solutioni impar debitor in carceres detrudatur, directam omnino neget, transactioni, quae finem fecerit iudicio vniuersali, contradixerint, vel lite continuanda, adiecta, omiffaue iuris cambialis reservatione, se abdicauerint; Ad horum contra petitionem carcere debitori nummos extorquere, eosque, donec omnibus ac singulis vniuersali iudicio comprehensis satisfactum sit, iudicem asseruare iubeat.

Nimirum modus, compellendi debitoris, ut soluat, in iure duplex est, ut tantum de bonis, quantum actoris petitioni superpetat, iudex adimat, vel, si hoc desit, donec satis fecerit, custodiendum curet, *l. r. et final. C. qui bonis ced. poss.* Tertium *lus Sax. Prov. Lib. III. art. 39.* exhibet, inopemque debito-

## IV

bitorem creditori addicit, vt serui loco operis praestet, quod aere non possit. Unde notissimum illud, qui non habet in aere, luat in corpore. Improbato hoc coërcendi medio, tanquam liberis hominibus, praeceptisque christianae religionis indigno, *Const. El. XXII. Part. II.* iuri Romano subscribit, improbumque debitorem, bonis turpiter perditis, ad preces creditoris iudici custodiendum tradit, vt maneat, donec contractum aes alienum soluerit. Vt nostro aequae, ac Romanorum, iure distinguendum sit inter inopes ex infortunio, et ex culpa doloue tales, et hi quidem condemnati auctore petente carceribus includendi, illis contra iure suo ad beneficium bonorum cessionis confugiendum. Flebile quidem omnino, verum tamen ex comparatione viro honesto beneficium. Quandoquidem non fugiendo solum carceris squalori, aliisque grauissimis poenis, sed famae etiam existimationisque integritati conseruandae opitulatur, prout ex *l. fin. C. qui bon. ced. poss.* ipsaque *d. Const. XXII. Part. II.* et copiosius ex *lege dolosis deceptoribus d. 20. Dec. 1766.* scripta, eiusque inprimis *§phis 5. 12. et 13.* cognoscimus.

Neque tamen haec impediunt, quominus debitori liceat, se ipsum carceri in defecturae solutionis euentum obligare. Quae quum sit natura cambiorum, iudex, vt ius cambii tribuat, a creditore imploratus, debitorem, agnitis literis cambialibus, intra carceres, petentis sumtibus, detinere debet, donec soluat. Vt sit penes creditorem electio, cambii iure vt, an, hoc misso, executionem in bona debitoris, tanquam ex simplici chirographo, petere malit. Et quoniam hanc in se potestatem debitor dato cambio creditori dat, lex, quae nummos iusta incarceratione extortos creditori detineri cauet, ab illo generali iuris praecepto, quod ius suum cuique tribuere

tribuere iubet, et quod in re praesenti creditoribus cambialibus O. P. S. R. *Tit. LII. §. 2.* diferte confirmat, quodammodo defletere viderur. Salua res est, totoque, quod subest, negotio perspecto, apparent iura societatis creditorum, quae iudicium vniuersale concursus creditorum constituunt, cum iure creditoris singularis, qui, cambio confisus, illam societatem inire recusauit, egregie conciliata. Scimus omnes, iudicium concursus creditorum, ex bonorum cessione, vel aliunde oriatur, superstructum esse modo transferendi domini vniuersalis, id est, rerum debitoris communis omnium in eius creditores, qui ex illius inopia, soluendi singulis, quod debetur, in communionem incidunt. Communio haec infert necessitatem, eligendi procuratorem, cui debitoris patrimonium creditorum causa administrandum committatur, donec appareat, quantum cuique secundum priuilegiorum potentiam tribuendum sit, simulque adeo requirit, vt omnes publice conuocentur, quo doceant, quantum cuique, et quo iure, debeatur, vt, si morem iudici non gesserint, communi illa priuentur, sin gesserint, vel restitutionem impetrauerint, eo quisque iure vtatur, quod contra debitorem ante domini huius vniuersalis translationem fuerit consecutus, vt haec ipsa translatio ampliando singulorum iuri obsit, et hinc vniuersalis iudicii origo singulis quibuscunq̄ue iudiciis contra debitorem antea institutis moram faciat. Dein, quanquam praclusio creditoris immorigeri solam exclusionem a communi bonorum praesentium, neququam actionis contra debitorem iacturam inducit, concurrentium tamen creditorum societati, a quorum, vsque dum solidum acceperint, obligatione debitor haud liberatur, *l. 2. C. qui bon. ced. poss.* ex bonis etiam postea quaesitis, quantum deficit, quatenus fieri potest, supplendum est. Nec, aliter iudicemus, oportet, si statim ab

## VI

initio lis per transactionem inter debitorem et creditores conuocatos componitur. Modo, praeuia citatione edictali, et sententia creditorum contumacium praeclusiua, compositio secundum praecepta, in *d. l. creditorum commodo promulgatae §. 17.* obuia, instituta et perducta fuerit. Siquidem refidui causa, creditoribus eiusmodi actionem *d. §. 17.* contra debitorem, rebus restauratis, diferte tribuit, verbis; *wie dem auch der debitor communis, daserne er nach getroffenen und erfülltem Accrod zu bessern Vermögen gelanget, das ihm von denen Creditoribus remittirte Quantum, ohne sich hierwieder mit dem Pacto remissorio schützen zu können, jedoch sonder einiges Interesse nachzuzahlen schuldig.* Saluo, quo generatim debitores innocentes obaerati in bonis post cessionem quaesitis perfruuntur, beneficio competentiae, id est, prout *l. 6. sq. D. d. Cess. Honor.* docemur, ea bonorum quantitate, quae praebendis alimentis necessariis, iudicis arbitrio aestumandis, suppetere possit. Quod arbitrium in bonis postea quaesitis iisdem limitibus circumscriptum non putauerim, quos caeterum in bonis cassis competentiae beneficio *O. P. R. Tit. LII. §. 3.* collocauit.

Positis his ad creditores cambiales redeamus. Vidimus, quemadmodum, cui res debitoris ex credito oppignoratae sunt, vel pignus persequi, vel debitam pecuniam condicere licet, non minus nostris licere, vel solam pecuniam petere, vel ipsam debitoris personam, vt donec soluerit, maneat, aggredi. Vt, si illud fecerit, nihil impediatur, quominus ex re iudicata executionem in bona debitoris, et ex hac ius pignoris consequatur. Dein scimus, cui plura in iure remedia dantur, electo vno non semper licere, relicto hoc, ad alterum confugere, vt potius, quam inire viam coeperit, in ea ambulanda debeat perseverare. Quemadmodum heredi, si ex testamento, clausula codicillari munito, hereditatem frustra petiit,



petiit, fideicommissum ex codicillo negatur, cuius compos fuisset fururus, si, omiffa testamenti causa, ad codicillos ab initio prouocasset. Similiter, creditoribus ad concursum conuocatis, qui iudicis edicto paret, debitoris personam sibi obligatam deseruisse, suumque ex bonis cessis petere uelle, existimandus est. Nec reseruatio iuris cambialis ab eo facta, qui in concursu persistit, tanquam facto contraria, etiamsi lex expressa deesset, quicquam efficeret. Obligauerat tamen Legislator in O. P. R. *Tit. LIII. §. 2.* non obstante bonorum cessione, debitorem arresto personali, ad petitionem creditorum cambialium, subeundo. Quae quum lex generalis esset, qua existente, praesertim, qui uerbis, ut otium sibi faciant, inhaerere satagunt, non ipsam rem, eiusque naturam, et ambitum intueri et inquirere ad se pertinere putant, moris est conclamare, nostrum haud esse, ut distinguamus, e re profecto erat, lege publica declarare, quibus demum creditoribus licere debeat debitoris obaerati petere incarcerationem. Idque sic nostra decisio declarauit, ut, iustitiam aequitatemque, reique publicae rationem, melius in concordiam reduci non potuisse, facile omnes fateamur.

Ius petendi, ut debitor, intermissa solutione, custodiam intret, creditori ex cambio natum, adeo aequale est, et indiuiduum, ut, eius intuitu neque magis obligetur, cui decem millia deber, quam, cui centum, neque, si quinquaginta personis debeat, quadraginta nouem, uota pro libertate nuncupantes, eum contra unius preces tueri ualeant. Nec iudicis conuocatio ad concursum, quod antea monui, creditori immorigero amplius quid aufert, quam ius, quoad bona cessa in partes eundi, adeoque actionem contra debitorem illibaram relinquit. Consequitur ex his, creditores cambiales, reliquorum

## VIII

quorum creditorum societatem ineuntes, perfistant, an deserant, debitoris personam frustra petere. Quippe ad bonorum massam, (vt vocabulo solenni vtar,) vel a iudice propositam, vel a debitore cessam confluentes, se litem cum debitore ipso suscipere nolle, tacite declarant. His igitur, secundum ea, quae praemissa sunt, lex nostra actionem cambialem eo iustius negat, quo magis inuidiosa eius creditoris causa esse debet, qui caeteris omnibus obluatur. Contra ex iisdem principiis non minus consequitur, debitoris detentionem precibus creditoris cambialis eius, qui caeterorum concursum rem suam non fecit, salua iustitia negari haud posse. Forte obiicies, creditorem cambialem similem esse hypothecarii, huic fundo oppignorato, illi persona debitoris caueri; Venditionem fundi ex causa concursus factam pignora soluere, adeoque creditorem iure suo pignoris persequendi priuari, creditorum concursui accesserit, an minus. Cogites tamen, fundum oppignoratum bonis cessis, iisque ob aeris alieni molem venundandis, contineri, et ob id creditori, scienti, rem suam agi, incumbere, vt euocatus a iudice appareat, quod sibi deberetur, petat, et solutionem ex pretio, ab emtore pro re sibi obligata numerato, expectet. Quod si neglexerit, pignus sua culpa amittit, salua caeteroquin personali contra debitorem actione. Hac igitur actione personali, hypothecario creditori, excluso a iudicio concursus, superflite, cur destituendus sit creditor cambialis? Et si destituendus non est, cur effectu careat, qui cambio naturalis est, quippe, vt executionem in personam operetur. Si non persona quidem debitoris, vt sauis creditoribus fiat, sed bona vendenda sunt, non persona, sed bona ceduntur. Et quamquam, vt salua sit libertas, quod supra monui, ceduntur bona, solam eam effugere captiuitatem potest, quam defectus bonorum operatur,

non

non, cui ipso debito contracto, lege permitte, quae cambiorum vis est, se principaliter obligauit. Repeto igitur, quod dixi, salua iustitia, creditori, vniuersali iudicio concursus non comprehenso, carceres contra debitorem ex cambio flagitanti, surdas aures praebere iudicem non posse. Nostramque adeo legem, quae custodire reum, vsque dum soluat, iubet, iustam esse.

Quodsi vero executionem in personam iustitiae praecipis consentaneam dicimus, consequi videtur, moram solutioni auctori praestandae factam ab iis desistere debere. Nimirum omnes largiuntur, eius, qui ex cambio agit, finem non esse, vt reus custodiatur, sed, vt numerentur nummi, literis cambialibus promissi, et, vt, his demum deficiente tibus, reus per custodiam ad numerandum compellatur, seu breuius, solutionem esse finem, rei custodiam medium, ei obtinendo destinatum. Quodsi lex probat, nonne simul finem probasse putes? Sane probaret, si posset. Sed propter ius fortius caeterorum creditorum improbare debet. Ne iudex, id ab auctore cambiali rogatus, reum soluere cunctantem custodiae mandet, creditorum societas ex concursu nata vetare non valet, quia ius, talia petendi, debitoris personam, singulis creditoribus cambialibus ad hoc in solidum obligatam non exit. Debitorem statim, atque nummos cambio promissos persoluit, libertatem recipere, aequè manifestum est. Quippe carceri non absolute obligatum, sed in euentum, si promissam solutionem non fecerit. Denique, quo minus nummos sibi ex cambio debitos creditor capiat, non debitor facit, sed iudex, ne capere sinat, legis auctoritate, a societate creditorum imploratus. Et rectissime quidem imploratus. Isti enim nummi ad bonorum massam pertinent, vel propriam

creditorum coniuكتورum, vel iis certe fortius, quam disincto isti creditori cambiali obligatam. Frequentissime obuenire videas, vt creditor, documento quarentigionato instructus, iudicem, permittente Decif. XXVII. IOHANN. GEORG. II. imploret, quo sui debitoris debitorem prohibeat, ne priuatim soluat. Quo si factio debitor die solutioni dicto creditorem, vt deponi videat, in ius euocari curet, nummosque deponat, an debitorem liberari neget, vel iure liberatum iniuste vel inique liberatum dicas? Neutrum profecto. Quia leges nostrae non ferunt, alteri per alterum iniquam conditionem inferri. Quam ob rem vel non tolerandae sunt inhibitiones eiusmodi, quae creditorum securitati patrocinantur, vel, si, reipublicae causa, fulciendae, non hoc iis tribuendum, vt debitorem libertate, susceptam obligationem exuendi, priuent. Quod si iniquum esse concedis, simul fatearis, oportet, iniquissimum esse, si debitorem facta solutione in carcere detineri videas, quia creditor cambialis, ob ius caeterorum creditorum fortius interueniens, compos numeratae pecuniae fieri nequit. Verba finalia legis nostrae huc directa haec sunt, *jedoch soll in diesem Fall, wenn der Wechsel-Schuldner die Bezahlung leistet, derselbe zwar des Wechsel-Arrests erlassen, das erlegte Geld aber ins gerichtliche Depositum genommen, und an den Wechsel-Gläubiger andrer Gestalt nicht verabsolgt werden, als bis sämtliche Creditores, so sich bey dem vorhero entstandenen Concurs, oder, da der Schuldner unserm wieder die Banqueroutiers ergangenen Mandat sich nach denen dazu erforderlichen Requisitis, gebührend submittirer, bey denen diesfalls angestellten Handlungen sich gemeldet, ihrer Anforderungen halber gehörige Befriedigung erlanget.* Distinguentium igitur est inter causas iudicio vniuersali concursus creditorum agitatae, cessionemque bonorum legitime factam, et negotia ex illa profecta. Qua de re vt rite iudicemus, oportet,

vt leges decoctoribus scriptas, nouissimam praesertim supra allegatam cum decisione nostra committamus. Huic enim recte interpretandae illa §pho inprimis 17 et 19. facem optime praecit, vel potius eam declarat.

Nimirum primo ex hac collatione cognoscimus, verbis *denen diesfalls angestellten Handlungen* significari litis compositionem auctore iudice secundum regulas in iure praescriptas institutam, *der sogenannten Accord*. Nec mireris eiusmodi transactionem praestitis praestandis a creditoribus personalibus, quibus plus deberur, probatam, simul reliquos, minus petentes, obligare. Etenim si debitorem fraudis insontem ponimus, qualem se iurisiurandi religione probare debet, partim ex consensu plurium ipsis creditoribus eiusmodi transactio magis commoda esse existimanda est, quam progressus et euentus litis, partim, quod ex transactione non recipiunt, non plane amittunt, salua, si augeantur debitoris opes, actione, petendi residuum. Est igitur haec legis nostrae sententia; Pecuniam debitori communi a creditore cambiali singulari extortam in iudicio tamdiu retinendam esse, quamdiu creditores, qui vniuersali concursus iudicio accesserint, sententia lis finita, an transactione, fuerit, non acceperint, quod ius deberetur.

Verba haec in lege nostra sic expressa, *bis sie ihrer Anforderungen halber behörige Befriedigung erlanget*, quis non putet, notare omnem pecuniam creditoribus debitam, chirographis debitoris expressam. Praesertim, quia nec transactiones in causis eiusmodi obuiaae, quod vidimus, sua natura, multoque minus decreta distributoria, vltra id, quod redditum est, creditorum iura extinguunt, et, qui bonis cesserunt, prout in *l. I. C. qui bon. ced. poss.* legimus, *nisi solidum creditores receperint*,

*non liberantur.* Aliam tamen legis nostrae sententiam esse, *d. l. de coactoribus latae §. 19.* verba finalia declarant, docentque, creditorum societati non omnino, sed pro ea rata, quam singulis vel distributio a iudice facta, vel debitoris promissio transactione expressa tribuat, principatum adscribi. En ipsa legis verba, *bis sämtliche Creditores — — behörige Befriedigung, entweder dem getroffenen Accord oder dem Distributions - Abschiede gemäß erlanget.* Ex quibus mihi simul recte concludere videor, eorum causa, quae creditores ex bonis sibi cessis non recepere, actionem iis quidem contra debitorem ditiozem factum dandam, privilegium vero prae reliquis creditoribus in bonis eiusmodi postea quaesitis denegandum esse.

Denique a debitore, praenia creditoris cambialis actione, numeratam pecuniam non massae lex nostra adscribit, sed creditorum causa, et donec quisque horum suum acceperit, asseruare iudicem iubet. Nimirum, vt cautioni sit creditoribus, ex qua, si forte suum, quod, quale sit, vidimus, ob interuenientem debitoris mortem nondum acceperint, neque in hereditate inuenerint, habeant, vnde capere possint. Si talis quidem pecunia iis non absolute, in subsidium tamen debetur.

Pauca haec, tecum, beneuole lector, communicandi, opportunitatem mihi praebuit, *XINDIORVM*, quos inter suos Senatus huius vrbs, Academia, et suprema Curia Provincialis inprimis amat, frater, et ex fratre nepos

VIR  
AMPLISSIMVS ET CONSVLTISSIMVS  
IOANNES DANIEL KINDIVS

de re suisque rebus haec narrans,

Natus sum *Werdauiae*, ad caput *Plissae in Mifnia sitae*, anno huius saeculi *Sexagesimo*, a. d. *XXVI*. Mensis *martii*, probis ac honestis parentibus; quorum praematura mors uti per omnem vitam mihi suppetabit largam lugendi materiam, ita et habeo, quod ex indefesso illorum me liberaliter educandi studio summam percipiam animi voluptatem. Me enim iam puerum religionis initiis, ac, quibus aetas puerilis impertiri solet, literarum cognitione in schola patria a viris Clarissimis, *STORCHIO*, tum temporis *Rectore*, nunc apud *Lichtanienfes Diacono*, et *ENGELMANNO*, qui *Cantoris munere apud Werdauienfes* isto tempore fungebatur, imbui voluerunt. Iam cum utriusque, quam grata semper recolam mente, opera factum esset, ut primis doctrinae elementis instructus, literis altioribus tractandis idoneus censerer; auctore et suasore fratre suavissimo, *IOANNE ADAMO THEOPHILO KINDIO*, *Philosophiae ac Iurium Doctore*, *supremae in prouincia Curiae Assessore*, *Iuris Saxonici Professore publico ordinario et Academiae Lipsiensis Syndico*, celeberrimae illi, literarum magistrae, *Scholae Electorali Grimanae*, cui Deus per plura adhuc saecula clementissime faueat! anno huius saeculi *Septuagesimo quarto*, a. d. *XXV*. mensis *Aprilis*, traditus fui, ubi sub *Viris Celeberrimis*, *b. KREBSIO*, *MVICKIO*, qui nunc *illustri Moldano*, utinam diutissime, summa cum grauitate, laude ac nominis fama praestet, *HOFMANNO*, *REICHARDO ac RICHTERO*, per ipsos sex annos merui. Qui quidem cum omnes in me erudiendo eiusmodi documenta dexteritatis ac fidei ediderint, ut grati piique animi sensu motus non sine magna voluptate temporis illius spatium repetam, praereliqui tamen singulari pietate ac obseruantia mihi colendus est *MVICKIVS*, qui omnibus humanitatis et beniuolentiae generibus semper me ita prosecutus est, ut ipsi tantum debeam, quantum hominem homini debere fas est. Finito cursu scholastico, Anno huius saeculi *obtuagesimo*, mense *Martio*, *Lipsiam delatus*, ciuiumque academicorum albo a *b. ZOLLERO*, *fastes*

academiae tunc tenente adscriptus fui. Quod vero mihi in academiam abituro vel maxime optandum erat, ut ibi mihi contingerent patroni, quorum consiliis monitisque adiutus, alacriter et strenue in studiorum tramite pergere possem, id fratris amantissimi beneficio mihi contigisse impense laetor. Hic enim consilio, suffragatione, liberalitate, omnique modo mihi meisque rationibus ita consuluit, ut grates ipsi debitas sentire magis, quam verbis declarare queam. Sic, quem mihi fratrem dedit natura, liberalitas fecit patrem. In reliquorum Patronorum numero, quo nomine omnes mei Praeceptores veniunt, haud ultimo loco ponendus est vir et amicus et meritis grauis, Patruus meus Venerabilis, IOANNES CHRISTOPHORVS KINDIUS, Iurium Doctor, Curiae prouincialis supremas et Consistorii Aduocatus, huiusque vrbs Praetor, cuius singularem in me fauorem quin palam praedicem, animo temperare non possum. Quibus bonis Electoralis munificentia, stipendio conferendo, velut cumulum indulgentissime addere voluit. Tot igitur, tantisque diuinæ prouidentiae, sapientissimae quippe omnium rerum humanarum gubernatricis, documentis fretus, hanc studiorum rationem in hac academia secutus sum, ut illorum initium, sicut par est, facerem a philosophia, quam a SEYDLITIO ac PLATNERO percepi. Iuris Naturae ac Gentium, et iuris publici Vniuersalis principii a SAMMETO, RICHTERO, WIELANDIO ac IVNGHANSIO imbutus sum. Quae ab his Viris, maximopere mihi obseruandis, acceperam, ea ad princeps institutum meum, h. e. ad vniuersi Iuris disciplinam, melius percipiendam, retuli omnia. Doctrinas, quae ad scientiam iuris theoreticam spectant, Antiquitatem Romanam, historiam iuris civilis, Institutiones, Pandectas, ius Canonicum, ius Germanicum, ius Feudale, ius Criminale, ius Cambiale, ius publicum Imperii Romano Germanici et ius Saxonicum tum priuatum tum publicum docuerunt me. Viri harum rerum peritia instructissimi, SEGERVS, PUTTMANNVS, SCHOTTVS, WOLLIVS, RICHTERVVS, STOCKMANNVS, ARNDIVS, BIENERVS, HEBENSTREITVS, SIEGMANNVS ac Frater, cuius principia et in iis, quae ad ius actionum forensium et Ordinem iudiciorum, seu, ut vulgo dicunt, Processum pertinent, sequor. Inter haec seueriora nec linguarum, et, quibus est ab humanitate nomen, literarum intermissi studia. Latinos et graecos scriptores interpretantium, b. CLODII et MORI scholis haud vulgaribus operam dedi, et in historia addiscenda, WENKIVM et



HILSCHEVVM duces elegi. Denique totum uniuersae eruditionis campum, praeuente CAESARE, emensus fui. Quorum quidem excellentissimorum Praeceptorum maxima in me merita, tantum abest, ut ullius unquam temporis iniuria ex mente mea deleat, ut ea per omnem vitam gratissimo et animo et ore praedicaturum esse sanctissime promittam. Iamque, studiis academicis ad finem feliciter perductis, cum anno huius saeculi octuagesimo tertio, mense Martio, summos in Philosophia honores obtinuissim, sequente anno, mense Septembri disputationem super quæstionem forensẽ: Cessio hereditatis a peregrino in indigenam facta, utrum ius detractus tollat, nec ne? in Istorum cathedra, praeside fratre, defendi, et ab incluto ac illustri Istorum Ordine, ante praelectionibus, quas dicunt, pro Candidatura publice habitis, sollempni examine exploratus, primam iuris lauream accepi, utpote omnino et prae ceteris dignus iudicatus, cui facultas, causas in foro orandi concedatur et reliquis specimenibus defuncto, summi in viroque iure honores conferantur. Quo facto, scholas iuris aperui, ac e cathedra Philosophorum dissertationem de Unionibus hereditariis in Germania per iuris manuarii aeuum uisitatis, adiuncto huius consiliatus literarii socio, Equite Lusato Ernesto Friderico Adamo L. B. de MANTEVFFEL, Anno huius Saeculi octuagesimo quinto, mense Aprili ad disceptandum proposui. Iam ad summos in utroque iure honores aspiraturus, praelectionibus pro Licentia, uti aiunt, super leg. Unic. C. quando Imperator inter Pupillos vel viduas etc. et Cap. XI. X. de Testamentis haud ita pridem publice habitis, ad examen, quod adpellant rigorosum, accessi.

Quod dum non minus honorifice superauit, dissertationemque, de obligatione mariti rerum uxoris mobilium heredis aequi alienum haereditarium dissoluedi, pro summis in utroque iure honoribus consequendis, d. VI. Aprilis huius anni defendit, eiusdemque finis obtinendi gratia, infrequentibus abhinc diebus Cap. Reynutius et Cap. Reynaldus X. de Testamentis et l. 13. C. d. hered. instit. publicis in auditorio nostro praelectionibus exposuit, hisque specimenibus omnibus ita defunctus est, ut iuriscientiam non vulgarem diligenti opera sibi comparasse omnibus

XVI

omnibus harum rerum intelligentibus probauerit, promeritos  
summos in utroque iure honores, et quae ex his promanant  
iura et priuilegia omnia, heri in Collegio nostro, praevia  
solemni creatione nactus est, simulque albo eorum adscriptus,  
qui praestitis, quae praestanda supersunt, futuri sint aliquando  
suo ordine, collegii nostri assessores, diserteque in horum nu-  
merum receptus. Haec more maiorum facta esse, hac tabula  
significamus, apposito plenioris fidei causa sigillo nostro.  
Fest. Paschat. A. C. MDCCLXXXVI.

---

LIPSIÆ

EX OFFICINA KLAVBARTHIA



ULB Halle  
005 483 018

3



vd 18







15

1786,4

4

9506

# ORDINARIUS

SENIOR CAETERIQUE ASSESSORES  
FACVLTATIS IVRIDICAE  
LIPSIENSIS

## SVM MOS IN IVRE HONORES

CVM SPE  
QVONDAM IN COLLEGIO ASSIDENDI  
VIRO CLARISSIMO

## IOANNI DANIELI KINDIO

A. M. ET IVR. VTR. BACCALAVR.  
D. XV. APRIL. A. C. CIOIOCCCLXXXVI.  
COLLATOS PROFITENTVR

IN EST  
*Brevis Enucleatio*  
*Decis. Nouiss. XXVI.*



*De Obligatione cambii per processum*

